Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

est autem vita eterna, ut agnoscant te verum deum
unum et quem misisti Ihesum Christum. Scilicet iam
in illa claritate de qua dicit pater: quam habui
apud te priusquam mundus fieret. Tunc enim
tradet regnum deo et patri, ut intret ser-
vus bonus in gaudium domini sui. De celeritate iudicii.

gaudium

In athomo inquit apostolus hoc est in punc-
to temporis quod dividi non potest. in ictu oculi
hoc est in summa celeritate. in novissima
tuba. hoc est in novissimo signo quod dabitur
ut ista compleantur. Canet enim inquit tu-
ba et mortui resurgent incorrup-
ti, et nos commutabimur. Vel ista commuta-
tione est in melius sine dubitatione opor-
tet intelligi. quorum omnes et iusti et iniusti
resurrecturi sunt, sicut dominus in evangelio
loquitur. qui bene fecerunt in resurrectio-
nem vite. qui male egerunt in resurrec-
tionem iudicii. iudicium appellans
penam sempiternam sicut in alio loco. Qui non
credit in me inquit iam iudicatus est. Porro in-
de illi qui ad iudicium resurrecturi
sunt non commutabuntur in illam incorrup-
telam que nec doloris corruptionem pa-
ti potest. Illa namque fidelium est atque sanctorum.
Isti vero perpetua dampnatione crema-
buntur, quorum ignis non extinguetur et
vermis eorum non morietur. Ac per hoc incor-
rupta quidem resurgent integritate mem-
brorum, sed tamen corrumpendi dolore pe-
narum cum audierint. Ite in ignem eter-
num qui preparatus est diabolo et angelis eius.
Ab auditu malo iustus non timebit.

Et radius oculi nostri. De eodem.
Non cum pervenit ad propinquiora tar-
dius ad longinquiora. sed utraque intervalla
pari celeritate coniungit. ita cum
in ictu oculi sicut apostolus dicit fit resurrectio
mortuorum. omnipotentie dei et ineffabili nu-
tui tam facile est quam etiam recentia quam diuturno
tempore dilapsa cadavera suscitare. De eodem.

Erit iudicium ipso inopinato domini ad-
ventu celerrimum quod tardissimum puta-
batur. quia ipsas conscientias sine sermonis pro-
lixitate convincet. In cogitationibus enim sicut
scriptum est impii interrogatio erit. Et apostolus. Co-
gitationibus inquit accusantibus vel excusan-
tibus in die qua iudicabit deus occulta ho-
minum secundum evangelium meum per Ihesum Christum. Et iam dominus
sic futurus est testis intelligendus ve-
lox. cum sine mora revocaturus est in me-
moriam unde convincat puniatque conscientiam.

Propheta Ysayas. De ordine resurgendi.
Resurgent inquit mortui et resurgent
qui erant in sepulchris. Unde apostolus. Ipse
dominus in iussu et in voce archangeli et in tu-
ba descendet de celo. et mortui qui in Christo sunt
resurgent primi. Deinde nos viventes
qui relinquimur simul cum illis rapiemur in nu-
bibus obviam Christo in aera. et ita cum domino erimus.
Hec verba apostolica resurrectionem mortuorum
futuram quando veniet utique Christus ad vivos et
mortuos iudicandos preclarissime osten-
dunt. Sed queri solet utrum illi quos hic viventes
inventurus est Christus quorum personas iste atque illos
qui tunc secum vivebant transfigurabat apostolus.
numquam omnino morituri sint. an ipso tem-
poris puncto quo cum resurgentibus rapi-
entur in nubibus obviam Christo in aera. ad im-
mortalitatem per mortem mira celeri-
tate transibunt. Sed quos sanctos quando rapientur
Christo viventes eatque in obviam rapientur
crediderimus in eodem raptu de morta-
libus corporibus exituros. et ad eadem max
immortalia redituros. nullas in
verbis apostoli patiemur angustias. sive ...